

portum Stockholmiensem nuntiabant. Ego mox hominem (*expresse*) instruxi, qui rectà Holmias petiit, et alterâ die pretiosissimis tuis muneribus onustus Upsaliam rediit. Si me tùm vidisses, vix characterem hominis, summo gaudio flagrantis, aptiùs ab ullo desumeres. Omnia semina 200 eòdem terræ commisi, et hâc ipsâ horâ, quâ has exaro, licèt vix ultrâ quatrimum terræ commissa fuerunt, tamen video enata, uti Genistam, Galegam, Apocynum Salicis folia, *Trifol. Bituminos.* (sic), Fabaginem, Sidam, Leucojum perenne, Sanguisorbam, Asphodelum, Glycyrrhizam. Hinc semina ferè omnia germinatura auguror; quàm indè felix et à te ditatus ero! Plurimas accipio plantas perennes, quæ hybernacula nostra pulcherrimè ornabunt.

Summoperè doleo quòd mea munuscula, quamvis vilissima sint, non redierint in tuas manus. Cùm quæsiveram Holmiæ apud D^{um} Grill de meo fasciculo, qui cum ejus nave peteret *Cette*, responsorias tuli, quòd *nulla ejus navis directè petierit portum Cette hoc vere, sed quòd primâ cum nave fasciculus abibit et in tuas manus perveniet.* Hoc responso, utcumque ægrè fero, debeo esse contentus; immortales Deos testor, quòd omnia quæ potui præstiterim, et spero te hoc autumnò fasciculum habiturum.

Sub meo præsidio hisce diebus prodiit *Disser-*